

πd
3168



30

O

S

D

O
L

Dr



B. C. D.

DE

ORIGINE, JURE,
AC UTILITATE
LINGVÆ
SLAVONICÆ,

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII CASP.
KIRCHMAJERI,

Orat. Prof. Publ. celeberrimi, Imperialis
Leopoldinæ Collegæ gravissimi, nec non totius
Academiæ SENIORIS venerandi,

*Dn. Patroni, Præceptoris ac Studiorum suorum Promotoris singulari
honoris cultu æternum colendi,*

disputabit

In Auditorio Majori,

Wittebergæ, Ad d. Novemb. M DC XCVII.

RESPONDENS

JOHANNES FISCHEX /

Solnensis Hung. Phil. & SS. Theol. Stud.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



B. C. D.
DE

ORIGINE JURIS
AC UTILITATE
LINGVAE
SALAVONICAE

SUB PRESEPTIO
DN. GEORGI CASP.
KIRSCHMAYERI

Orat. Prol. Publ. celebratissimi Imperialis
Leopoldini Collegii gratissimi, necnon
Academici S. MORI venerabilis

Principis, ad
RESPONDENS
JOHANNES SESSER

WITTENBERG, Typ. CHRISTIANI SCHROEDER, 1747





B. E. D.

De

Origine, Jure, ac Utilitate Lingvæ
SLAVONICÆ,

CAP. I.

De NOMINE ac ORIGINE.

§. I.

LEge Curiatâ in Comitibus *Metensibus*, multarum peritissimus Lingvarum atque literarum Imperator, CAROLUS IV. Anno 1356. ad perpetuam memoriam ac observantiam instituit, consilioque Ordinum inseruit extremo *AUREÆ BULLÆ* Capiti: *Ut Electorum filii, heredes, ac successores, præter veraculam (Germanicam,) Latinam & Italicam, simul Illyricam (i.e. Slavonicam) edocerentur Lingvæ;* ut cum variis communicare gentibus sermonem possent; nevé in sententiam ingentium arcanarumque rerum (quarum anima silentium,) assumere ullius testis conscientiam scientiamque cogerentur. Quod illius institutum non solummodo *Limneus* Observat, XIX. ad A. B. Cap. 30. §. I. cumque eo commentantium corona laudat; sed & exterorum approbat confessio. *Giov. Stefano Menochio* part. 5. delle *sturore*, Centur. 10. c. 3. Plures ap. *Limn.* vid. Tom. 4. J. P. in addit. ad lib. 3. c. 7. & ad Capit. *Carol. V.* art. 14. n. 22. seqq. Accuratissimè, ut aliàs, *Reinesius*, in *Lectio. variar.* 1. 14.

A

hæc

hæc dijudicando: *Slavicam, seu Slavonicam linguam*, ait, gentis *Sarmaticæ Vinedorum*, quæ in *Germania*, transmissa *Vistulâ & Danubio*, è *Scythia in Illyrico Dalmatiâq;* latè habitavit olim, hodieq; plures ejus insidet provincias, malò more, ceu *rusticam, impexam, sordidamq;* & indignam homine liberali *δοκασίσεμνοι & πολιτὺλι* nonnulli derident: contra, pro *Jovis* habent cerebro, si quid *transalpinum, Gallicumq;* inter æquales tinnire nòrunt. Is neglectus quantum in *scitia & tenebras*, in rebus vicini, & *Aquilas* easdem nobiscum venerantis populi objiciat *Germanis*, serò nimis, & cum deplorare solùm possunt, sentiunt. Patet inde, quo quavè jure, aut injuriâ, exterminationem laudet *Linguae Soraborum Slavica Christoph. Manlius Commentar. Lusat. rer. lib. 4.* quam *Albertus Ursus* proscribebat maximè.

§. II. Sed quæ prerogativa eminentiaq; *Linguae Sclavica* aut *Sclavonica*? cum vile ac servile nomen *Sclavi, Sclavineq;* habeatur vulgò: *Germanis, Gallis, Italis, Hispanis* nempe *Sclavus, ein Sclave/esclave, scbiavo, esclavo*, recentioribusque *Græculis* (quos inter est *Cantacuzenus*, lib. 4. c. 14.) *σκλάβος* denotat mancipium, captivum, servum, eiten *Leibeigenen* / &c. Sic charta Regis *Germanorum Ludovici*, in *Metropoli Salisburienf.* Tom. 2. p. 15. *Aut homines ipsius monasterii tam ingenuos, aut servos, sclavos &c.* *Special. Saxonie.* similiter artic. 73. §. 3. *Sclavæ autem proles sequitur patrem sclavum.* Legas & apud *Matth. Paris.* in *Henric. III.* ad Ann. 1238. *Soldanus moritarius -- vindictos Slavos liberos multos fecerat.* In *Regesto albo domûs Tolosanae publicæ*, fol. 130. *Civitas Tolosana fuit, & erit sine fine libera; adeò ut servi & ancilla, sclavi & sclava, dominos aut dominas habentes, acquirant libertatem.* Sic etiam *Ditmarus* lib. 3. *Tunc omnia nostram prius Ecclesiam respicientia, divisa sunt miserabil-*

serabiliter, Slavonica ritu familiaris, quae accusata venun-
dando dispergitur. Similiter Sclavinam aut Sclaviniam,
pro veste vili, & nimis familiari, dixit R. Kimchius non
modo; sed pro penula villosa (einen langen groben
Filk-Mantel / & Regen-Rock / den gemeine Soldaten /
oder Boots-Knechte tragen /) adductis pluribus expo-
sit exemplis in Glossar. du Fresne ad h. voc. *Possius* 2. de
Serm. vit. c. 17. rectè censuit: id nomen retulisse pri-
mitatis inter Germanos eos, quos è Slavorum gente captos
homines in servitutem redegerunt; hinc significatio-
nem latius extensam, ad quoscunque servos, aut ca-
pivos.

§. III. Habet, cur injuriam accuset omnium *Slavo-*
nica nimirum Cardinalis lingua, qui servili eam & man-
cipiorum jugo aestimant. Præterquam enim quod sit
vetustissimarum *Scytho-Celticarum* soboles primaria;
quæ plures dialectos peperit filiolas, nec solo *Venedorum*
(derer *Wenden*) metienda nomine, per *Asiam*, *Enro-*
pam, inde ab extremo ferè angulo *Septentrionis*, ad *Ori-*
entales Indos & *Cathajam* usque, *Russis* propagantibus, no-
bilitata: gloriam & nomini, & genti populosiori univer-
sis induerunt. *Dalmatis*, *Liburnis*, *Epirotis*, *Macedoni-*
bus, *Bosnensibus*, *Croatibus*, *Serviis*, *Moldavis*, *Rasciis*, *Polonis*,
Bulgaris, *Cosaccis*, *Russis*, *Massovis*, *Bobemis*, inq̄ve *Asia*,
Circassis, *Mengreliis*, *Gazaritis* plurimisq̄ve *Turcis* no-
tum est, à *Slava* / h. e. *celebritate*, *gloria* denomi-
natos *Slavos*; ut à *Slavis* *Slavia* descendit. Hinc pro-
fectum, quod *Durando Speculator*. teste, in præfatione *Ra-*
tionalis Officior. Divinor. MSC. per tres Linguas in Eccle-
sia missam celebrare liceat, *Latinâ*, *Gracâ*, & *Slavonicâ*.
Huc conferatur etiam *Lambecius* lib. 2. *Biblioth. Cæsar.* c.
8. ubi *Missale Romanum* jussu Pontificio, non solum *idio-*

mate, sed caractere pariter Slavonico fuisse Roma editum, observat. Goldastus insuper præfat, Tom. 3. Imperial. Constit. Attilam (Bonfinio notante) tribus Linguis, Latinâ scil. Germanicâ, & Slavonicâ conscribi voluisse, memorat Comitiales Leges. Nimirum angustis quidem incluserunt eam terminis, qui vel Venedicam, die Wendische / Cyrillicamvé, à Cyrillo, & literatura Viri, (velut Primus Truber, Carniolanus, & Antonius Dalmata in præf. Catechis. Sirbiens. ad Invictiss. Imperat. Maximilian. II.) aut Illyricam vocârunt.

§. IV. Quoniam à potiori tamen, h. e. ab Illyrico Imperatores ipsi Illyricianam linguam aut advocacionem salutarunt; liceat tantisper ita appellare; sed non solam Daciam, Macedoniamq., aut Italia conterminam Epirum, (ut in Lexic. Jurid. Calvinus tradit,) intelligere. Dalmatiam Liburniamq., aliàs Geographi, recentiores quoque, metiuntur nomine Illyrici, urbesque principes Albonam, (unde oriundus Trancovitus Mattbias, Flacius hûc usque dictus,) & Salonam, patriam Imperatoris Sacratiss. Justiniani, ne quid hîc de Salonino, Asinii Pollionis filio commemoremus, tantùm referunt. Cùm nihilominus Natali teste Comite, Histor. lib. 17. Illyrii complexu tractus is intelligatur universus, qui à Savo fl. in citeriori regione est, à fontibus illius, eò usque, ubi in Danubium exoneratur. Estque cùm amplissima, tùm fertilissima, & populosa regio; in qua permultæ celebres sunt Civitates munitissimæque, præter urbes dictas, arces; Bosnie metropolis Sarabi, Clissa, Spalatro, Valliova, Docleata, unde Dogliana juga excelssima, à Generoso Equite Britanno, Blunte diligenter annis à non ita multis perlustrata; vid. idem in Itinerar. Orient. lit. A. & B.

§. V. Interest omninò veritatis, & antiquitatis, ut
Illy-

Illyricor. & Illyrici descriptionem rectè teneamus, Ex Hi-
storicis *Romanis* pauca sparsim *Curtius*, disertè quædam
Florus, accuratior *Latinis* pariter & *Græcis* *Appianus* exti-
tit *Alexandrinus*, Parcè admodùm *Polybius* nonnulla,
de *Illyriorum, Macedoniam* depopulantium, invasionibus,
seditionibus, defectionibus ad *Romanos*, à *Romanis*, præ-
liis navalibus, adversus *Epirotas, Ætolos, Achaos*, Histo-
riar. lib. 2. & 3. quæ hûc non quidem pertinent; o-
stendunt tamen gentis claritatem & audaciam. Assvetos
prædâ vivere *Illyrios*, & inter montosa saxa sua latrociniis,
designat *Curtius*, de *Alexandro M.* referens hæc lib. 3. c. 10.
Cum obequitaret agmen, variâ oratione, ut cujusq; animis
aptum erat, milites alloquebatur. -- -- Non præruptis
petris *Illyriorum & Thracie* saxis sterilem laborem fore;
spolia totius *Orientis* offerri. Qui hûc loci commenta-
tus est *Raderus* ex *Strabone* *Zonarâq;* scribit: *Pangæo*
proximam *Illyriam*, ab *Illyrio, Cadmi* filio sic dictam. Con-
tinuisse olim, quicquid à *Danubio* ad *Italiam*, & *Istri* o-
ram usque est terrarum: hodiè *Sclavoniam* appellant. Erat
Illyrici tributum priùs locis aliis nomen, penè in superio-
rem continentem, *Thraciasq;* intra *Hemum*, transiit & *Rho-*
dopen. Deinde situm fuerat *Illyricum* inter prædictos
montes, circa *Hemum* atque *Istrum*, usque *Pontum Euxi-*
num.

§. VI. De bello *Illyrico* hæc *Florus* l. 2. c. 5. *Illyrii*, seu
Liburni, sub extremis *Alpium* radicibus agunt, inter *Arsiam*
Titiumq; flumen; longissimè per totum *Adriani* maris lit-
tus effusi. Hi, regnante *TEUTANA* muliere, populatio-
nibus non contenti, licentia scelus addiderunt. Legatos
quippe nostros, ob ea, qua deliquerant, jure agentes, ne gla-
dio quidem, sed ut victimas, percutiunt securi; præfectos
navium igni comburunt; mater imperabat. Discimus

hinc, *Florum* (1) nomine *Illyricorum* maximè *Liburnos* cen-
 sisse; (2) sub extremis *Alpium* radicibus *Illyrios* egisse; ;
 (3) longissimè per totum *Adriani* (*Hadriatici*) maris lit-
 tus effusus; (4) mulierem *Teutanam* regnantem coluisse;
 (5) scelera non tantùm, sed crudelitatem etiam, adversus
 jura gentium, haud averfatos esse. Nobis inde duo hæc
 sufficiunt; sub *Alpium* radicibus *Illyrios* egisse, *Teutanam*
 Reginam agnovisse. Conferamus alium è *Floro* locum,
 lib. 3. c. 3. de bello *Cimbrico*, *Teutonico* ac *Tigurino* Ibi-
 dem, *Teutonos* sub ipsis *Alpium* radicibus fuisse affecutum
Marium, contendit; & illorum Regem *Teutobochum*, exi-
 mia proceritatis *Virum*, trophæa super ipsa eminentem, sistit.
 Incidit jam illud iter curiosum, sed & molestissimum.
Henrici Bluntii, Equitis *Britanni*, per *Dalmatiam*, *Sclavo-*
niam, & *Thraciam*, Germanicè descriptum Anno 1687.
Helmstadii.

§. VII. Quæ ibi ἀξιωματικόνευστα occurunt, obser-
 vabimus sequentia, p. 8. & seq. Von dar (bey *Salone*,)
 überstiegen wir das *Doglianische* Gebürge das viel
 höher / als die *Alpen* / und hatten wir drey Tage
 zu thun / ehe wir von dem höchsten wieder herunter
 kamen: ungeachtet dieser Abweg viel steiler ist / als
 die halbe Tagereise von dem Berge *Zenit* in dem
Piemontischen. Als wir meist neun Tage in diesen
 Bergen zugebracht / kamen wir in eine grosse frucht-
 bare Ebene / die an der West-Seite da wir hinein
 kamen / zum wenigsten 10. Meilen breit: gegen Mit-
 tag und Mitternacht mit niedrigen und angenehmen
 Hügeln umsetzet war / die sich immer näher und nä-
 her zusammen ziehen; bis nach sechs oder sieben Mei-
 len die Ebene kaum eine Meile breit bleibet; da die
 Stadt *Sarahi* von einer Seite bis zur andern dieselbe
 schlies-

schließet / und von beyden Seiten einen Theil der gedachten Hügel mit einnimmt. Gegen Morgen hat sie ein Schloß auff einen steilen Felsen liegend / das die Stadt beschiesen kan / so wol als den Weg / der von dar kömmt. Diß ist die Haupt-Stadt des König-Reichs Bosnia, mittelmäßig gebauet / und nicht gar groß. Man rechnet auf achtzig Moscheen / oder Türkische Kirchen / und zwanzig tausend Häuser darinnen. Das Fürnehmste was ich die drey Tage über / so ich dar stille lag / beobachtete / war das gute Wasser / und die Grösse der Leuthe; die halben Riesen zu seyn schienen / weil sie nun mit Teutschland gränzen / kam ich auf die Gedancken / daß Sie von der Alten Teutschen Abkunft wären; Derer Cæsar und Tacitus, wegen ihrer Stärke und Statur gedoncken; Die aber nun in anderen Orten in eine gemeine Grösse verändert ist *zc. Pau-
corum interjecta subiecit: Wir reiseten also X. Tage durch ein bergicht / kalt / und unbewohnt Land / mit Pinus-Bäumen besetzt. Zuletzt erreichten wir endlich Valliova, ein artig Städtchen auf der Ungri-
schen Gränze belegen. zc.*

§. VIII. *Ovum ovo, non similis, quàm hæc, de sedibus & habitu est antiquorum Theutonum suspicio Bluntiana. Neque enim quemquam inter homines, in primis doctos, generosos, graves, tam sollicitè, ex instituto, perlustrasse credam Alpes has, & Alpium itinera, quàm molestè superavit Bluntius. Hinc tot in Mappis Geographica omissa loca, & locorum intervalla, ac neglecta à Scriptoribus antiquis, novis, monumenta supplet. Quæro igitur, quid sibi velint Theutoni, aut Theutones, in Alpibus*

pibus *Dalmatia Sclavoniaq;* ? Quid *Theutobochus* Rex, & ante illum, *Teutona* Regina ? diu ante bella *C. Casaris*, & *Christum* natum ? Quidque corporum immanis habitus, proceritasque ? cujus observator *Tacitus*, ut oculatus testis, erat. Quæro, quid *Teutrania Pausania*, in *Atticis* quo loco *Gallos* prodidit victores non *Illyriorum* modò, sed & invasores *Asia*. Quæro insuper, cur *Ungari* appellent hodieque *Slavos Tot* atque *Toot* ? quemadmodum *Bobemi Slowac* / & *Harvat* ipsi *Dalmata* ? Hinc nata etiam sunt nomina Oppidorum quorundam in *Hungaria superiore*, quæ ob *Slavos* vel *Venedos* ibidem habitantes, *Hungaris* dicuntur *Tot-Prona* (*Slowenska Prawno*) *Wendisch-Pron* & *Tot-Lipza* (*Slowenska Lipza*) *Wendische Lipsch* milliari unico *Neosolio* distans. Quamquam à *Georgio Dalmatino* in appendice operis *Biblici, Slovenski, Dalmatinski, & Hervatzki*, sub diversis characteribus dialectorum numerentur. Quæro, cur, qui socii *Tigurinorum* & *Cimbrorum* erant, *Teutoni* vocentur, nec *Germani* ? An putabimus, eosdem extitisse *Teutonas* vel *Theutonos*, vel *Ptolomæi Teutonarios*, cum reliquis *Germanis* ? De *Teutonariis* inter *Saxones Svevosq;* nihil adhuc diximus. Cur *Cimbri Teutonas* in *Mario*, apud *Plutarchum*, appellarunt fratres ? *Clari*, ap. *Pytheam Massiliensem Teutones*, CCL. ante natum *Jesum*, annis. Multò hoc antiquior *Aristoteles* famigeravit *Teutonorum* expeditiones, *Dei, God, Goth, Godan, Wodan, Theut, Thoyth*, aut *Tluit*, sub schemate *Mercurii*, vetustum nomen Numinis fuisse, fateamur. Inde *Danon, Danske, Danman, & Godanon*, vid. *Cluver. Germ. Antiqu. l. 3. c. 40. & l. 1. c. 9. & 26.* ubi de *Tuitone, Tuislone* ac *Teutone* uberiora deprehendes. *Theudo* Rex *Gothorum* memoratur in illorum *Chronic*, ab *Isidoro*. *Bojoariorum* celebris Dux *Theu-*

Thendo inclytus apud *Diaconum* occurrit *Paulum* lib. 6. c. 16. rer. *Longobard.* Cur *Helvetis* quotidiana cum *Germanis* praelia, non cum *Teutonibus*? auctoritate *Cesaris* in *Commentariis* I. Aliter omnino judicandum est de *Teutonibus*, si veterum utaris stylo; aliterque de *Germanis*. *Teutones* in *Illyrio*, ; aut ab *Illyriis* profecto victis; *Gallo-Celtas* etiam *Illyrios* oppressisse, annotat *Pausanias*, in *Atticis*.

§. IX. sed nunc ordo exigit, ut consulamus *Appianum*; qui, si quisquam alius est priscis, res *Illyricas* accuratissime delineavit. Ex hoc regionem pariter *Illyricam* antiquam, & *Illyricorum* gesta addiscemus tutius. *Illyriorum* fines *Appianus* repetit ab *Istri* ortu, ad mare, usque *Ponticum*. De bellis, sub initium, *Illyricis* sic limites definit: *Illyrios* *Graci*, eos existimant, qui supra *Macedoniam* & *Thraciam*, à *Chaonibus* & *Thespiotis* ad fl. *Istrum* sedes habent: hac enim totius provincie longitudo est; amplitudo ejus, ex *Macedonia*, & *Thracia* montibus ad *Peones* usque, *Ionium* mare, *Alpiumque* objecta protenditur. De nominis origine ac ratione, ex *Poëtis* refert: *Cognomen* ejus asserunt provincie ab *Illyrio* *Polyphemum* ortum habuisse. *Polyphemo* quippe *Cyclopi*, ac *Galatea* *Celsum* & *Illyrium*, & *Gallum* filios extitisse; eosque ex *Sicilia* progressos, *Celtis* & *Illyriis* & *Galatis*, ab ipsis cognomen assumptibus, imperitasse. Et hac mihi inter pleraque à multis memorata placere. Item: -- Et hac ab antiquitate repetuntur. Seculo hæc quidem *μυθικῶν* debentur; nihilominus id certum, extitisse *Polyphemum*, *Cadmum*, *Celsum*, similesque, & in primis *Ilum*, sive *Ilum*; (nam utroque modo in *Codd.* antiquis scribitur,) cujus sæpe mentionem facit *Regis* amplificatoris *Ilii*, *Homerus* in *Odyss.*

§. X. Sive igitur ab *Illo* Rege ille, sive potius ab *Illyrio* *Illyricum* dicatur, *Celto-Scythicam* originem depre-

B

hen-

hendemus. Autor est non tantum *Stephanus*, *Illyrios*
 ἀπὸ Ἰλλυρίων τῶν Κάδμωνος παιδὸς, à *Cadmi* filio descende-
 re; sed & *Eustatbius* ad *Dionysium*, & *Appollodorus* ma-
 xime, βασιλεύει Κάδμος Ἰλλυρίων, καὶ παῖς Ἰλλύριος αὐτοῦ γί-
 νεται. *Cadmus* imperat *Illyriis*, & filius illi nascitur *Illy-*
rius. Historiarum fide certum est, *Gallos*, *Brenno* duce,
 partem non exiguam *Illyrici* occupasse; *Boji* sanè, *Scor-*
disci & *Taurisci* (quorum mentionem facit loco allegato
Appianus inde descendendum,) gentes *Gallica* originis;
 quas *Strabo* atque *Possidonius* *Illyricis* accensent. Mere-
 tur annotari *Livianum* ex *Historiar.* l. 38. c. 16. testimoni-
 um: *Galli magna hominum vis, Brenno duce, in Dardanos*
pervenerunt: ibi seditione ortâ, ad XX. millia hominum
cum Lomnorio, & Lutario Regulis, secessione factâ, à Bren-
no, in Thraciam iter averterunt. Vides, *Brenno* duce,
Gallos ad *Dardanos* pervenisse; postea in *Thraciam* aver-
 tisse iter, proximos *Illyriis*; nec dum acquievisse, nam
 cum *Byzantium* pervenissent (*Livii* hæc quoque verba sunt)
 aliquandiu oram *Propontidis* vestigalem habendo, regio-
 nis ejus urbes obtinuerunt. *Cupido* inde eos, in *Asiam*
 transeundi, cepit, & *Lysimachia* fraude captâ, *Cbersonne-*
*so*que omni armis possessâ, ad *Hellepontum* descenderunt:
 & quæ sequuntur. Inter alia hæc: *Omibus, quæ cis Tau-*
rum incolunt, gentibus, terroris tantum injecerunt, ut, quæ
adissent, quæque non adissent, pariter, altima propinquis,
imperio parerent. Stipendium totâ cis Taurum Asiâ,
exegerunt. *Consulis Romani, ad id tempus, Manlii* con-
 fessione constat apud *Liv.* ibid. loci; degenerum *Gallo-*
rum i. e. *Gallo-Græcorum* horum patres avosque per *ASPER-*
RIMAM ILLYRICI ORAM, Paoniam inde & *Thraciam,*
 cum ferocissimis pugnando gentibus, cepisse.

§. XI. Quæstio hic tamen redit: qualis vox *Illyrici*;
 & unde derivecur? *Scytho-Celticam* vocavimus; nec præ-
 nitet.

niret. Ponamus, fabulosum esse *Cadmi* filium, *Illyrium*; quid impedit, ab *Hebraeorum* אלון *Eljon* (altissimum vox notat,) aut על i. e. Deus fortis, dum *El* & אלון dictus est *Pbœnicibus Saturnus*, teste *Bochart. lib. 2. sive Chanaan. c. 2. & Celtarum nomine Rick* repetere? Si id displiceat, recogitandum est, *Hispanis, Syris, ac Pbœnicibus* significasse *Ilis* altum, & non raro, oppidum in rupe situm. In *Hispania* antiquitatibus rem pluribus exposuit *Ambrosius Moralis*. Idem, in *Eulogii Memorial. l. 2. c. 11. ap. Bochart. lib. 1. Phaleg., c. 34.* conjectat: *Ilis* (sive *Illis*) prisca *Hispanorum* lingua (Celtica hæc verò erat) *Oppidum* significasse. Inde tot urbium, in *Batica* præsertim nomina, *Iliturgis, Iliberis, Ilipa, Ilipula*. De urbe *Iliberi* hæc *Ambrosius* testatur, in *Elvira* monte illam conditam, De *Iliturgi Livius Hist. lib. 8.* in urbis parte editissima, præaltâ rupe sita differit. *Ilerdam* graphicè delineat *Lucanus, l. 4.*

*Colle tumet modico, leniq; excrevit in altum
Pingve solum tumulo; super hunc fundata velusta
Surgit Ilerda manu.*

Terminatio *Rick, Gotbo-Sveonib. Ryk*, ut nostris hodieque *Reich* / & divitem & Regnum (unde *Frankreich / Oestereich / sic Sllyrich / vel Illyrik* vocatur) denotat. Quâ ratione *Alaricus, Fridericus, Henricus, Dietericus, Theodoricus, Ericus, Ulricus*, hæc componitur *Illyrius*: qui *Celtis* designabat montium & excelsorum divitem, potentem. Habes gloriosum etiam *Illyriorum* nomen & prærogativam lingvæ scil. *Illyrica*; ceu erat ostendendum.

CAP. II.

De JURE hujus LINGVÆ ac UTILITATE.

§. I. Pondera caussarum Imperantes habent, cur auctoritatem tueantur lingvæ etiam Vernaculæ. *Valerius*

B. 1

Maxi-

*Maximus Memorabilium 2. c. 2. graviter observat : Magistratus prisci quantopere suam populiq; Romani majestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter cetera obtinenda gravitatis indicia, illud quoq; magna cum perseverantia custodiebant; ne Græcis unquam, nisi Latine, responsa darent. Quia etiam ipsa lingua volubilitate, quâ plurimum valent, excussa per interpretem loquacogebant; non in Urbe tantum nostra, sed etiam in Græcia & Asia; quò scilicet Latina vocis bonos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant studia doctrinae. Sed nulla non in re pallium toga subjici debere arbitrabantur; indignum esse existimantes, illecebris & suavitate literarum, Imperii pondus & auctoritatem domari. Inter dominationis retulit arcana l. 3. Clapmarius, c. 22. quod Imperatores Turcici Imperii ostentent Majestatem, ut non aliâ, quàm suâ linguâ, vel Legatos exterorum audiant, vel respondeant iisdem. Huc & Constitutionem retulit Imperii: Ne intendantur lites linguâ aliâ in Camera Imperii, quàm Germanicâ. Jam diu est, cum in Comitibus Norimbergensibus, communi Ordinum Imperii consensus memorabile sanxisset institutum: Ut in Cancellariis deinceps & contractibus Germanicum reciperetur idioma. Antehac videlicet Latine, rudi nihilominus Minervâ, istiusmodi res expeditæ sunt. Turca, velut dictum, tantam patrii sermonis curam habent, ut Andreas Gritti, Venetus Orator, pactis, cum Imperatore Turcico, Latinâ linguâ scriptis nec subscribere, nec tribuere fidem vellet, nisi vernaculo illorum idiomate exprimerentur. Frid. Marselaër in Legato, dissert. 27. Superiori seculo Hispaniarum Rex imposuit necessitatem Mauris, non suâ, sed Hispanicâ sermonem conferendi linguâ. In *Itinerario Serenissimi Principis ac Domini, DN. CHRISTIAN-ERNESTI, Marchionis Brandenburgici, Herois Martii In-*
com-*

comparabilis, Monarcha sistitur *Hispanicus*, *Philippus IV.* gratulanti loquentique *Gallicè*, *Hispanicè* respondens; et si lingvæ *Gallicæ* peritus esset admodum, vid. *Berulius c. 4. Ulyss. Brandenb. p. 86.* Idem fecerat *Maria Theresia*, Monarchæ desponsata *Gallico* tum temporis. Imperii Ordinibus indigitatum est decreto *Cæsaris* sacratiss. An. 1686. d. 1. Decemb. publicato: ut, qui à *Gallo* læsi essent Status, idioma *Latino*, & non *Gallico* in scriptis uterentur. *Romani* Veteres Imperii vim & signum, idioma habuerunt; & ad dignitatem pertinere suam statuebant, non, nisi *Latino* & *Vernaculo*, sermone vel admittere Legatos, vel dimittere. Quis hinc non videt, eos inter reipublicæ arcana lingvæ propagationem habuisse? ut & *populis*, & *populorum* linguis simul jura darent. *Catonem* accepimus, cum *Græcis* admodum se oblectaret literis, ne quidem *Atticè Athenis*, sed *Latinè* loqui voluisse. *Æmilius Paullus* cum vicisset *Perseum*, convocatis *Asiæ* Ordinibus, *Romanâ* usus Lingua est. Plus vice simplici est reprehensus *Cicero*; quod cum ad *Græcos* missus esset, *Græcè* loqueretur, detrahens *Romanæ* majestati. Nullum evidentius auctoritatis argumentum, quam præcipere, ut Imperantis linguâ subditi utantur.

§. II. De *Latinâ* hoc abierit: quod *Romæ* propria esse desit, & peregrina ferè nullibi censeretur; dum in *Germania*, *Gallia*, *Britannia*, *Hispania*, *Insitania*, *Hungaria*, *Bobemia*, *Polonia*, *Italia*, *Suecia*, *Dania*, sed & in *Asiæ Indiarumq;* illis Regnis, ubi vel semidocti agunt, maximè *Religiosi*; qui communicare sensa animi inter se possunt. Sed de *Italica*, & *Slavonica* in primis quaritur: quo jure Imperator *Carolus* statuerit, ut idioma corruptissimæ *Latinitatis*, sola in *Italia*, provinciale, *Electorum* filiis obtruderet commendaré? De *Illyricâ* ferendum dignius judicium; cum quidem lingua illa *Cardinalis*, & tot per orbem habitatum gentibus communis sit. Nos dubitavimus, inter *XX. Lingvas*, à *SS.*

Flamine inauguratas, Act. 2, 9. *Ponticam, Illyricam* vè numerandam. Ut non abs re mirum videatur, cur eruditissimus *Leusdenius* in *Philolog. Hebr.* dissert. 19. post. part. sect. 1. p. 187. ex XX. Linguis ibidem loci memoratis, *Egyptiacam, Æthiopicam, Cananeam, Philisteam, Aramaeam, Chaldeam, Græcam, & Germanicam* intelligendam æstimet imprimis. Quantò confidentius *D. Becher* in *Morosoph.* part. 1. n. 47. (ubi de universali Lingua & Scriptura agit,) scribit: Ich wolz te mit diesen VI. Sprachen/ als Teutsch/ Lateinisch/ Slavonisch/ Arabisch/ Malaisch/ und Staribisch/ die ganze Welt durchkommen. &c. Ut enim conditio mortalium miserima haberi potest, si quis expertus linguæ cum *Latina, tum Slavonica,* cogatur inter eos degere, quos intelligere non possit: ita nec communicatio interior, fiducia, vel amicitia sperari inter dissonos sermone ac dissentientes debet. *Nisi noverim vim vocis, ero barbarus loquenti, & qui mecum loquitur, videri possit barbarus,* 1. Cor. 14, 11, ut *Augustinus* ideò verissimè censuerit: *faciliùs diversi generis coire animalia, & discolors convenire aves, quàm diversa lingue homines in societatem aliquam civilem cogi.*

§. III. A jure Linguæ *Slavice,* transimus ad utilitatem ejus, Princeps est, amplificatio divini nominis, & cultûs verè *Christiani* propagandi. Tenebris plus quàm *Cimmeriis* immerisunt cœlestis veritatis ignorantia, per late patentissimos *Moscchorum* tractus incolæ, per *Samojediam, Sibiriam, Tartarorumq; Hordas* plurimas, imprimis *Cassan,* atq; *Astrachan;* quæ *Christiano* sub imperio reguntur. Nihil de *Bulgaria, Rascia, Bosnia, Croatia, Illyricisq;* reliquo vicinis diximus provinciis. Hucusque divus *Paulus* Evangelium se propagasse olim, fallus est. Sed novem ubi sunt? qui gloriam dent *Numini;* aut saltem imitentur nostri ævi peregrinatores, à *Romana* Aula mitti solitos? Erudiantur *Russi* ἀναλφάβητοι & rustici! Eatur inde ad extremos *Orientis* incolas *Sinenses!*
Pro-

Propagetur verus veri Dei cultus! Tanta, inter *Rascios, Moldavos, & Valachos* maximè, barbaries, sacrorum tanta ignorantia, ab illis observata fertur, qui è *Transylvania* eò profecti sunt, ut major inter *Christianos* esse nequeat. Amplissima profectò messis; operariorum pauci. O quando dies ille veniet, quo Reges, Principes, Respublicæ non tam pro ampliandis terræ suæ finibus, quàm pro salute Animarum, cœlo debitarum, laborabunt! Movit *Maximilianum II. Casarem* Gloriosissimum divini propagandi nominis hic stimulus, ut sumtibz, è publico labores secundaret utilissimos; antiquo caractere *Gothico* conscribi catechesin à *Trubero Primo*; sicut *Georgius* quoq; *Dalmatinus* in Præfat. Biblior. Slavonicè editor. *Wittebergæ* scribit: Gott hat uns in diesen Landen aus sonderer Güte und Gnade/ durch den Ehrwürdigen und in Gott Wohlgelehrten Herrn Primum Truberuth, als einen gebohrenen Wendischen/ und darzu außermehlten Werkzeuge/ nicht allein gezeigt/wie auch diese Sprach mit Lateinischen Buchstaben füglich und so wol als andere/mag geschrieben werden; sondern sind auch durch ihn/ und andere/etliche Biblische/ und sonst heilsame Schriften/in unsere gemeine Sprach/ nicht ohne sondere Frucht/ und Nutz der Kirchen/ und Zunehmung in Lehr/ Tröst/ und Besserung vieler Wendischen Christen/ gebracht und geschriben worden. Et paucorum interpositu: Da bisher kein Dolmetscher/der es in Wendische Sprach gebracht hat/ befunden worden: bin ich gleichwol/ als der Ringsüßigst/ nicht allein aus guten Christl. Gottseel. Eiffer/ und besonderer Liebe meines Vaterlandes/ sondern auch auf Bitt vieler treuhertzigen Christen/ dahin vermocht und bewegt worden. &c.

S. IV. *Chronici Merseburgensis* Autor & *Episcopus Dithmarus Bosonem* illo laudat nomine, quòd, *Sorabos* commissos sibi, ut facilius instrueret, verba scripserit *Slavonica*, eosq; *Kyrie Eleison* docuerit cantare. Fuit ergo hic *Sorabice* literaturæ primus in his terris *Misnicis*, sub *Ottone M.* instaurator, *Godescalcus*, *Obotritorum Wagirorumq;* Princeps, qui temporibus *Conradi* vixit *Salici*, ad *Slavos* Slavice sermones sacros habuit; *Helmoldo* teste, lib. 1.

iv. i. e. 20, Chron. Slav. Ejusdem fide conitai, *Altenburgicum* (in
Wagriâ) Episcopum, *Brunonem*, conscriptis verbis *Slavicis* con-
cionatum publicè. l. i. c. 83. O redeant, redeant industrii Ze-
lotæ tales, & pro Christiano nomine amplificando audeant si-
milia! Laudandus opidò conatus perquam Rev. Viri & Cla-
rissimi *M. Abraham. Frencelii, Schönaviensis* in *Lusatia Ecclesiastæ*,
qui in luculentum ordinem *Origines Sorabicae* redegit *Lingvæ*.
Hic, si *Historiam* etymologicis junxisset, nec coactè sapius *E-*
braeam *Linguam* præstruxisset *Slavica*, majorem iniisset gratiam.
Rectissime notavit tamen ex *Opitii* Var. Lect. cap. undevicesi-
mo, à *SS. Flamine* *furina* auguratam *Slavicam* in *Lingua Pon-*
tica Act. 2. 9. quàm *Maydenæ* & *ts* *es* exposita leguntur.

§. V. Altera totius publici utilitas redundat ab hac *Lingvâ*,
ad communionem fœderum, negotiorum & commerciorum
omnis generis. *Moscovia* vel sola satis amplum Orbis, per tot
Regna, Principatus & provincias, ad quingenta milliaria *Ger-*
manica, secundum longitudinem & ferè latitudinem, thea-
trum est; in quo exspatietur populorum cultiorum gloria,
Quantas in *Legatione Moscho-Sinica* peregerint res annis pro-
ximè superioribus, *Oratoribus Sinensibus* interpretes adjuncti
Patres, *Gerbillonius*, & *Penerius*, *Ignatiani* ordinis sacerdotes, ipse
met *Avunculus Imperatoris Sinici* testatus gratà mente est.
His si fuissent destituta hominum tot (8. scil. aut 9.) millia, cum
Mandarinis 150. *Camelis* 3000. *equis* 12000. tormentis bellicis
50. sumtibus immensis & molestiis exhaustis, oleum & ope-
ram cum *Moschicis* Legatis perdidissent. *Turci* hodièq; à li-
teris quantumvis alieni, dictitant proverbio: tot *Viris* hunc æ-
quivalere, quot quis callet *Linguas*. Movit illud *Mitbridaten*, *Bitby-*
nia ac *Ponti* Regem, cum duarum & viginti gentium, utentium
diversis *linguis* *populos* haberet, sine adminiculo interpretis
cum ipsis loqueretur. *Lentulo Pompejus* suasit (testimonio *Plu-*
tarchi in *Catonis Cens. vita*) ne profectioem aliquam suscipe-
ret ad *Parthos*; quòd imperitus *Lingvæ* esset *Parthica*.

§. VI. Nec minimus ad literas ac Literatos, ad *Historiarum*
ornamenta & augmenta usus, hinc depromitur. Præterquam
enim quòd defectus in *Historia* migrationem gentium con-
cer-

cernens felicissimè hinc suppleatur; si locorum, personarum,
& familiarum nomina, res gesta, ac id genus alia intelliguntur
rectius: probrosum certè videatur, ignorare talia, origines ne-
scire, rationem reddere non posse vetustissimorum olim pos-
sessorum; quorum facti successores, titulo quocunq; sumus.
Disputatione nuperà de *Convenientia XII Linguarum ex matrice
Scytho-Celticâ* natarum, thesi ultimâ adduximus non pauca,
prope *Wittebergam*, nomina pagorum, Oppidorum, Civitatum;
sed omisimus sequentia in *Misnicis* remotiora hinc: *Zvickovv*,
Glauchou, *Zschopau*, *Luccovv*, *Zvvenckovv*, *Missin*, (*Meissen*) *Mogellin*,
(*Mügeln*) *Dalin*, *Luzin*, (*Eußen*) *Coldiz*, *Deliz*, *Oschiz*, *Groiz*, *Gruna*,
Büchin, *Zscheila*, &c.

§. VII. Jam de Regno aliquid *Poloniae*. Quid *Pole* aliud,
quàm *Campus*? & planities sine mœnibus? *Dalmatis*, *Polonis*, &
Bohemis. Paucioribus fortasse notum, unde *Alba* cum *expansis a-*
lis Aquila, in *signe Polonorum*? Explicat *Matthias Strykowski* *Oss-*
stevicius sub *Gvagnino* latens, *F. qvite Aurato*, in *Polonic. rer. Tom.*
1. p. 51. edit. Ff. 1584. *Gnezna* à nidificantium *Aquilarum* multitu-
dine fundata, *Conditore Lecho*, est. Nidus enim avium *Gni-*
azdo Slavis dicitur, arborum & aruspiciū consilio. *Alba*, cum *ex-*
panfis alis, *Aquila*, pro patrio insigni regio, in vexillis quoq;
Unde *Lubica* (*Lubeca*) & *Wismaria* sit dicta? alibi expositum. *Cra-*
covia Poloniae metropolis, quid sit? & unde dicta? vid. antea lau-
datus *Autor*, p. 54. *Stada*, sive *Stado*, ad inferiorem *Albim*, urbs,
populorum agmen notat. *Breina*, *Brema* ad *Visurgin* nobile
emporium, designat *onus Slavis*, ab his conditum. *Rostochium* ad
Varni ripam, ab uliginosa terra, non à *Rosis*, aut *Roseto*, *Venedis*
vocata *Rostzoch*. Loci cerevisia famigerata *Knisenack*, à *Knese*,
Principe, & *Nacka* potu dominorum, dicta. Quid *Zupanus*, *Ban-*
nus, *Bannum*, *Banner*, *Panier* aut *Banneris* vocetur? Sola *Lingva*
explicat *Slavonica*. De singulis hinc redderemus rationes, nisi
hoc labore nos levassent magna nomina, *Goldastus* in *Ale-*
mannicis, *Lehmannus* *Chronic. Spir.* & potissimum *Reinesius* in

Variar. Lect. 1, 14. Nos acquiescimus tantisper:

Soli Deo Gloriam daturi!

(O) 95

C) 11

Lin-

QX
Tid
3/68

Lingvarum Deus est Autor, qui commoda multa
Per linguas Homini pro bonitate dedit.

Slavica præ multis aliis caput erigit altè,
Et *Natas* varia fertilitate parit.

Jure proin *Mater reliquarum* dicitur *Illa*,
Hæc placet *HUNGARIÆ*, per placet *Illa* *Tibi*.

Floreat *Illa* *DEO*, *PATRIÆ* quoque *floreat* *Illa*!
Floreat *his* *Studiis* *Slavica* *Lingua* *Tibi*!

JOHANNES Deutschmann/D.

LAudo tuum in Lingvis specimen, FISCHERE, bonisque
Commendabo, modis omnibus, ut faveant.

Tu multò melius memet *Slavonica* nosti:

Hunnus enim nunquam, *Francus* at ipse fui.

PRÆSES.

AStere *Slavorum* lingvæ, sub Præside magno,
FISCHERE, antiquum perpetuumque decus!

Sic *Tibi* per faustis assurgat commoda votis

Calliope, & doctum cingat abolla caput!

L. M. Q.

M. Valentinus Ernest. Læscherus,
Ord. Phil. Adj.

TRiplex *Hungarica* genti quamvis sit in usu
Sermo, tamen horet *Slavica* lingua magis.

Excutis hanc doctè; *patriæ* testaris honorem:

Cultorem precor hinc sublevet *illa* sui.

M. Georgius Michaelis, Cassar

Helmoldus olim Presbyter gentis tuæ

Transmisit acta ad posteros stylo rudi:

Tu, FAUTOR, ejus verba tradis optimè

Laudata posteris; *Tibi* quod hinc decus

Manebit inter Posteros? ut Presbyter

Voceris olim laude multa præditus.

G. B. S.

10 (0) 10

WDA

Boh. sig.

21



hæc dijudic
gentis Sarm
Vistulâ & i
bitavit olim
re, ceu rus
liberali don
pro Jovis b
inter equa
scitia & te
cum vener
deplorare
jure, aut in
rum Slavi
rer. lib. 4.

§. II.

vica aut S
Sclavineq;
spanis nem
recentiori
lib. 4. c. 14
vum, eitte
norum Lu
Aut homin
sclavos &c
ve autem
pud Mat
moriturus
Regesto al
Tolosana f
eilla, selar
acquirant
omnia nost



guam, ait,
, trans misso
âq; latè ba
s, malò mo
nam homine
t: contra,
, Gallicumq;
nantum in
sdem nobis
imis, & cum
quo quavè
guæ Sorabo
ar. Lusatic.
maximè.
Lingua Scla
nen Sclavi,
Italis, Hi
avo, esclavo,
ntacuzenus,
ptivum, ser
g's Germa
om. 2. p. 15.
aut servos,
§. 3. Scla
Legas & a
8. Soldanus
cerat. In
o. Civitas
servi & an
s habentes,
ib. 3. Tunc
isa sunt mi
serabil